



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Degisio[!] XIX. De Obligato Sponsalibus ad Ordines Sacros aspirante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XIX.

De Obligatis ad Ratiocinia ordinandis, vel non.

DECISIO XIX.

De Obligato Sponsalibus ad Ordines sacros aspirante.

SPECIES FACTI.

Narcissus itineri Eustadium versùs jamjam accincto ad obtinendum Subdiaconatùs Ordinem veniunt repente literæ à Flora, mariti avida, in quibus contra Narcissum tanquam perfidum multis conqueritur, quòd contra datam sibi in vacationibus fidem sponsalitiàm meditetur modò transfugum ad statum Ecclesiasticum facere, seque post seriam, cujus scripturam rectem propria manu exaratam dedisset, Matrimonii promissionem modò deserere, addens, se id nunquam permissuram, sed datis ad Ordinarium literis effecturam esse, ut à Sacris arceatur. In his angustiis deprehensus venit Narcissus ad me, tanquam Professore suum, non ignorans meum

in se studium & promptam voluntatem, rei que seriem exposuit, simulque addidit, se quidem ore & scripto promississe Matrimonium Floræ, at non mente, sed fide tantum & ad eam inani spe lætandam. Quid ipsi responderim, placet hic exponere; nec enim contra hujus Tituli materiam esse existimo, si casus de obligato alteri per sponsalia ad satisfaciendum priùs sponsæ hic resolvatur, ubi ex instituto agitur de obligato alteri per & propter administrationem bonorum ad reddendas priùs rationes, antequam admitti possit ad Ordines sacros; cum multi ad hunc Titulum examinent hanc



Questio.

QUÆSTIONEM.

An Obligatus femina per Sponsalia licitè initiatur Sacri Ordinibus?

ITa equidem existimat Laym. Pontius, Gobat, alique, his ferè argumentis inducti. 1. Promissio sponsalitia non debet cedere in præjudicium majoris boni: atqui status cœlibatûs, quem amplectitur suscipiens Ordinem sacrum, est majus bonum, quàm status Matrimonii. Unde argumentantur 2. A pari: Votis, quæ sunt promissio facta Deo, inest hæc conditio, nisi aliquid perfectius, vel statum perfectiorem elegero: ergo etiam Sponsalibus, quæ sunt promissio tantùm homini facta, à fortiori inest dicta conditio, nisi elegero statum perfectiorem Matrimonio, qualis utique est status Sacerdotalis. 3. Sponsalibus inest hæc conditio, nisi Religionem intraverit. c. 2. § 7. de convers. conjug. Extrav. un. Jo. XXII. de voto. ergo etiam inest hæc, nisi Ordinem sacrum suscepero, arg. c. 25. pr. de jurejur. ergo non obstantibus Sponsalibus licitè suscipitur Ordo Sacer. 4. Sponsalia dissolvuntur licitè per votum castitatis subsequens, etiam simplex tantùm: ergo & licitè dissolvuntur à fortiori per Ordinem sacrum, cui annexum est votum Castitatis solenne. Ant. prob. indè, quia votum, quo se quis adstringit Deo, est vinculum fortius, quàm sponsalia, quibus se quis homini solùm adstringit, & utique licitè

tum erit, obligationem, quam quis habet erga hominem, commutare in aliam, qua adstringitur Deo; nec enim promissum infringit, qui in melius illud commutat. c. 3. de Jurejur. dein ex c. 5. qui Clerici vel Vov. ubi poenitentia injungitur mulieri, quæ post sponsalia emisit votum simplex Castitatis, & hoc voto non obstante voluit nubere: ergo per votum castitatis fuerunt dissoluta sponsalia, utique licitè: aliàs enim votum nec fuisset validum, cum non possit validè edi de re illicita. His insuper habitis

Communior & verior Doctorem cum Sanch. de Matrim. l. 1. d. 47. n. 3. opinio est, Ordinem sacrum ignorante vel invitâ sponsâ non suscipi vel conferri licitè. Fundamentum præcipuum & planè solidum petitur ex Jure Naturali, vi cujus per sponsalia gravis obligatio ad contrahendum cum sponsa, cui fides est data, Matrimonium contrahitur, quam obligationem semel contractam nec Jus Naturale, nec Jus Divinum, nec Jus Ecclesiasticum, per susceptionem Ordinis Saceri, iterum tolli permittit, uti patet ex responsione ad oppositâ sententiæ fundamenta, sed potius omnia Jura prohibent jus alicui semel & absolute quæsitum auferri sine ejus culpa, vel consensu, vel saltem sine iusta

ita causa, sed potius conservari vo-
lunt. can. si seculi 9. caus. 12. q. 2. c.
4. de donat. c. 6. § fin. de eo, qui co-
gnovit consang. Et prior tempore, po-
rior est jure, c. penult. de refer. in 6.
§ c. 14. de R. 1. in 6. Confirmatur:
secundum presentem titulum nullus
cum gravi alterius præjudicio ordina-
tur licite, etiamsi solum ex admini-
stratione rerum temporalium quis al-
teri sit obligatus, nondum redditis ra-
tionibus: ergo nec licite aliquis or-
dinatur, qui personaliter & ad indi-
viduum vitæ statum obligatur alteri,
nimirum sponsæ, quamdiu rem prius
cum ipsa non composuerit, & illa con-
senserit; quia planè admodum grave
præjudicium imminet sponsæ ex sub-
tractione sponsi per Ordinem Sacrum.

In contrarium adducta nullo ferè
negotio refutantur. Primum quidem
negando absolute *Ma.* quæ si vera
esset, facile omnes promissiones ho-
minibus factæ, etiam juratæ, infringi
& labefactari possent: sic promissum
homini equum posses licite po-
tæst donare Ecclesiæ: sic promissam
mulieri dotem dare posses Monaste-
rio Monialium; sic bona vinculo fi-
deicommissi aliis jam obligata posses
applicare domui Religiosæ: sic post
vota sponsalia posses eligere statum
cælibem in sæculo, & sine susceptio-
ne Ordinis Sacri, quia cælibatus est
status perfectior, quàm Matrimonial-
is &c. sed hæc, utique etiam juxta
Adversarios, sunt falsissima.

Secundum ideo non stringit; quia
de Deo, cui soli fiunt vota, rectè
(R. P. Pichler Decisiones.)

præsumitur, quòd ipsi præplaceat id,
quod est melius in se: id verò præ-
sumi de homine promissario, seu
quando aliquid promittitur homini,
ut sit per sponsalia, non potest; cum
homo non soleat attendere, quid in
se melius sit, sed potius quid sibi uti-
lius, & suis desideriis accommoda-
tius: unde, licet votis concedatur
inesse dicta conditio, tamen per se
non inest, & ex natura rei, sponsa-
libus, vel aliis in favorem hominum
factis promissionibus acceptatis. Un-
de negatur *consequentia*, uti &

Ad III. Quia jus positivum *locis*
citt. specialiter disposuit, ut sponsali-
bus insit hæc conditio, *nisi statum Re-*
ligiosum elegero &c. non verò, utiis
insit hæc, *nisi Ordinem Sacrum, vel*
statum Ecclesiasticum, aut cælibatum ele-
gero. Favor Religioni seu Ordini-
bus Religiosis specialiter & præter rei
naturam concessus non debet exten-
di ad Ordines Sacros & Ecclesiasticos.
In c. 25. *cit.* est sermo de mutatione
casuali superveniente, non de volun-
taria, qualis est susceptio Ordinis Sa-
cri; nec enim in libera potestate
sponsi esse debet ponere pro libitu
impedimentum sponsalibus.

Ad IV. *u.* sponsalia non dissolvun-
tur per votum castitatis simplex sub-
sequens, ut habet melior sententia,
quia istud nec validè emittitur; cum
Deus non censeatur acceptare in præ-
judicium tertii, videlicet sponsæ; nec
licite, quia non fit sine injuria sponsæ
jam habentis jus quæsitum adversus
sponsum. Ideo negatur *Antec.* Ad

P

pro-

probationem ajo, votum castitatis simplex, post sponsalia emissum, nec vinculum est, quia nulliter editum, adeoque nec vinculum fortius. Promissum non infringit, qui commutat in melius sine injuria tertii. C. cum injuria tertii. N. imò negatur suppositum, quòd possit esse melius, quod neque bonum, propter conjunctam tertii injuriam, esse potest, uti votum castitatis post sponsalia. In c. 3. cit. est sermo de promissione Deo facta, cui si aliquid melius subrogatur, censetur esse gratius Deo, & istud acceptari; cum hac mutatio fiat sine

injuria Dei, imò cum beneplacito. In d. c. 5. Illa mulier ideo punita, & dispensativè admissa post votum castitatis ad Matrimonium est, quia alteri, quàm illi, cui per sponsalia ante votum contracta se obligaverat, voluit nubere: si voluisset nubere sponso, cui se obligaverat per sponsalia ante editum votum, nec punita, nec dispensativè fuisset admissa ad novum Matrimonium; quia votum respectu prioris sponsi, utpote cedens in hujus præjudicium & injuriam, non fuit validum, ipsa verò obligata ducere priorem sponsum.



TITULUS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

DECISIO XX.

De repulso ab Ordinibus ex defectu Corporis.

SPECIES FACTI.

Athanasius per aliquot annos SS. Theologiæ studiosus ob præclaras dotes animi tam dignus erat, quàm avidus Ordinum; quia tamen potentiâ visivâ in oculo sinistro, cujus tamen organum habuit, penitus carebat, ab Examinatoribus sæpius repulsam tulit, meò quidem judicîo non tam propter defectum potentiæ visivæ in uno oculo,

quàm propter conjunctam fortassis aliquam deformitatem, ita ut propter complexum utriusque ab Ordinario, cuius est in dubio, an quis ob vitium Corporis pro irregulari & ordinum incapaci habendus sit, nec ne, judicare & discernere, repulsus videatur. Nam ratione oculi tantum in favorem Athanasii mihi decidendum fuisse videtur

DUBIUM